

# OBSERVATIO ECLIPSIS LUNARIS

*die 8. Septembris 1737. st. n. Petropoli habita.*

REFERENTE

G. Heinsio.

## §. I.

**E**clipses lunares vsu suo, qui eximius alias in Astro-  
nomiam et Geographiam redundant, nonnihil pri-  
uari videntur, quod istarum obseruationes ad sum-  
mam exactitudinem exigere non liceat. Causa praecipua  
quaeri debet in umbrae terrestris termino, qui propter  
adiacentem penumbram densam admodum incertus conspi-  
ci solet. In diuersis quoque Eclipsibus umbra diuersae  
densitatis, ut sic dicam, deprehenditur. Haec in eclipsi  
praesenti non solum valae diluta apparuit, sed cum pen-  
umbra quoque tantum confundebatur, ut successum ob-  
seruationis fere desperaremus. Huic incommodo acces-  
serunt aliae circumstantiae, quae obseruationem magis du-  
biam reddiderunt. Fuit Eclipsis horizontalis luna ad oc-  
casum vergente, siquidem et initium tantum et nonnullas  
phases ante obscurationem maximam, quae sub ipso fere  
lunae occasu contigit, obseruare potuimus. Vapores in  
vicinia horizontis, praesentia luminis crepuscularis, muta-  
tio disci lunaris in figuram oualem, quae ad horizontem  
ex refractionis diuersitate in exiguis distantiis oriri solet,  
dubiam sane obseruationem reddere valent. Licet autem  
postremo incommodo mutationis disci medelam attuleri-  
mus; ob causas tamen ante allegatas, praesertim male  
termi-

Tab. XVII.  
et XVIII.